

138  
VIRO PRAECONSULI  
MAGNIFICO, ATQVE NOBILISSIMO,

JOANNI GO-  
THOFREDO  
ROESNERO,

IN FESTIVITATE NUPTIALI

SCHLODIGE-  
RO-BERG-  
MANNIANA,

CIOCCCVIII ID. VIII APRILIS

SOLEMNITER CELEBRATA

PLURIMUM OFFICIUM AC SALVTEM

JOANNES GEORGIUS ZOEBNERUS!

---

THORUNII,  
Impress. Johannes Conradus Rügerus. 1708.



Erit & ex omnium applausu sincere  
laetantium vota in hoc uno exercentur,  
quod sanguinis Tui necessitudinem ple-  
nis & amplissimis auspiciis condecores.  
Ut enim non est fortuitum praeclare na-  
sci, ita ex Natalibus vidisse Propinquorum incrementa,  
egregium est & Deo commendatissimum. Unde evenit,  
quod, quo illustrior & meritis felicior evadas, eo hone-  
stius stemmatis Paterni Propaginem magnae Opinio-  
nes participem reddas, illaque rursus Virtutum beneficiis  
ejecta, in Tui famam excubet. Est quippe ea fors & in-  
doles ingenuarum mentium, cum sibi quoquo modo  
innectuntur, ut distinctam in se gloriam facillime &  
suavisimo temperamento inmiscere & aequare didice-  
rint. Nec oblivioni cedit, si arcessita ab Majoribus an-  
tiquitas memoriam recte factorum exprimat, & ad imi-  
tandum Exempli sit loco, magis tamen tutum esse existi-  
mo, cum Tu, *Vir magnifice*, instar Capitis familiae Tuae  
praesideas, a quo reliqua aetas membra, partesque in po-  
steritatis emolumentum praedicet. Plane ut eviden-  
tius pateat, cum longè prae aliis laudem mereri, ordi-  
nem qui familiae praeclarum incipit, quam qui prose-  
quitur. Sunt alii, qui generis splendori & amplitudi-  
ni sese tantum addere acquiescunt & parum gerunt cu-  
rae, secundine seu alteri Majoribus reperiantur, soli ta-  
men ad fastigium suum nati videntur, a quibus optimis  
non habeas quo recurras, & unde praestantiores petas.  
Taliū autem incolumitas magno tum argumento est,  
quando

quando circa se stipatos vident Affinitatum surculos, ex quibus laeta tandem aetatis germina efflorescant. Inane est caetero qui solatium, peregrinis solum frui posse admiratoribus, si non domi ad sint, sanctioremque aditum persentiscant, & amore confiteantur, quod veneratio ab aliis deposcit. Multum quoque facit ad animi oblectamentum sentiendi illa aequalitas, ubi Natura in suos proclivis nihil non jucunditate adimplet, & Propensionem penitissima animi tranquillitate interpretatur. Neque spernenda adversus calamitates, si Propinqui praesto adsint, obvenit fiducia, dum tolerantiae assvescimus, amicioribus nunquam derelicti. Videtur equidem Conditio mortalium ab iis excludi non posse, quos cuivis nascendi fors associat, & propagando adjungit, nihilo secius animorum, fatique varietas tantum sibi in eandem vindicat, ut, quem sanguine proximi cum gloria contingunt, in multis felicissimus esse reputetur. Plurimum, *Vir magnifice*, familiaritatis in moribus versari prudentiores compertum dedere, verum quando & morum fallacia subitanea & frequens est, rectissime penitanti verosimilimum apparet, provideri tum ex assuetudine amicitiae, quo propius Naturae nexus, quae est cuiusvis indoles mater, nobis accesserit. Cum igitur Tibi *Vir magnifice*, de florentissima Propinquorum serie gratulari liceat, eaque in Tuum honorem insigniter assurgente, illam revera felicitatem in pulcherrimi ominis partes assumis. Praeter gaudia, quibus excitaris, illud supremum locum occupat, quod taedis nuptialibus jam  
jam

jam praelucere deprehendas *Ornatissimam Viraginem*, quae coeli beneficio *Dignissimum Sponsum* nacta est. Cauto omnino consilio, auspiciis istis conatibus addidisti calculum, cum Numinis singularem benevolentiam arguant & loquantur. Nam dum singuli vel quadam contentione, effusissimam acclamandi quaevis fausta, fortunataq; contestentur voluntatem, imprudentis esset judicare, quasi imparati & fortuiti in uno consentirent. Meretur adverti loci longinquitas, quae nequicquam diffita novorum conjugum corpora admisit, sed potius utraq; ex alienis non diu terris Patriae nostrae dedicavit. Vegetior etiam in Conjugibus aetas spem facit ad diuturnitatem prosperitatis apparandam, cum in hoc terrestri hospitio quantum & quam bene aliquis vixerit, beatitudinis apicem consequatur. Movet me ad expectationem plane exoptatam viventium adhuc Exemplorum vis & robur, quod si intuebuntur *Lectissimi Coniuges*, ingens melioris vitae emolumentum resumere poterunt. Plurimum tamen splendidissimis illis dotibus, quas non ad Nuptias, sed Virtutem, quae sibi ipsi merces est, afferunt, conjectandi securitas asseritur, fore ut quam bonus expetit, laetus tandem perspiciat domesticae salutis perennitatem. Virtutem, de qua invicem conspirarunt, si humanitate & modestia compensabunt, magno desiderio sui totam civitatem sustinebunt. Interim precor DEumq; veneror, ut Te *Magnifice Praeconsul* in perpetuum illorum ad honorem & ornamenta, auctoramentum superesse sinat, & ut praesentissimum convivium cum novis conjugibus ad defecatam laetitiam destinet. Mihi vni nihil solemnius erat ista festivitate, ita non est voto, cuius me ad omnigenae felicitatis Complementum compotem reddo. Hanc gaudii fidem semper iteraturus, si simplicissime tantum Votis quorumvis favere potero. Vale bono publico. Dab. Id. viii. Aprilis ccccviii. Thorunii.

